

RHYTHMUS S. THOMÆ AQUINATIS

A DÓRO te devóte, latens Deitas,
 Quae sub his figúris vere látitas :
 Tibi se cor meum totum súbicít,
 Quia, te contéplans, totum déficit.

Visus, tactus, gustus in te fállitur,
 Sed audítu solo tuto créditur :
 Credo quidquid dixit Dei Fílius,
 Nil hoc verbo Veritátis vérius.

In Cruce latébat sola Déitas,
 At hic latet simul et humánitas;
 Ambo tamen credens atque cónfítens,
 Peto quod petívit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor,
 Deum tamen meum te confiteor :
 Fac me tibi semper magis crédere,
 In te spem habére, te dilígere.

O memoriále mortis Dómini,
 Panis vivus, vitam praestans hómini:
 Praesta meae menti de te vívere
 Et te illi semper dulce sápere.

Pie pellicáne, Iesu Dómine,
 Me immúndum munda tuo Sángvine,
 Cuius una stilla salvum fácere
 Totum mundum qult ab omni scélere.

Iesu, quem velátum nunc aspicio,
 Oro, fiat illud quod tam sítio :
 Ut, te reveláta cernens facie,
 Visu sim beátus tuae glóriae. Amen.

ASPIRATIONES AD SANCTISSIMUM REDEMPTOREM

A NIMA Christi, sanctífica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inébria me.
Aqua láteris Christi, lava me.
Pássio Christi, confórta me.
O bone Iesu, exáudi me.
Intra tua vúlnera abscónde me.
Ne permíttas me separári a te.
Ab hoste máligno defénde me.
In hora mortis meae voca me.
Et iube me veníre ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In saecula saeculórum. Amen.

ORATIO AD D. N. I. C. CRUCIFIXUM



E N ego, o bone et dulcíssime Iesu, ante conspectum tuum génibus me provolvo ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor, ut meum in cor vívidos fídei,

spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere; dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod iam in ore ponebat tuo David propheta de te, o bone Iesu: Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. Ps. 21, 17-18.

ALIA ORATIO

IBSECRO te, dulcissime Domine Iesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar; vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delicter; aspersionis sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi vita indeficiens, crux tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei : Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

OBLATIO SUI

Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es : id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

ORATIO AD S. IOSEPH

VIRGINUM custos et pater, sancte Ioseph, cuius fidei custodiae ipsa Innocentia Christus Iesus et Virgo virginum Maria commissa fuit: te per hoc utrumque

caríssimum pignus Iesum et Mariám obsecro et obtestor, ut me, ab omni immunditia praeservátum, mente incontamináta, puro corde et casto córpore Iesu et Mariáe semper fácias castíssime famulári. Amen.

*ORATIONES DICENDAE CUM SACERDOS
INDUITUR SACERDOTALIBUS PARAMENTIS*

Cum lavat manus, dicat :

DA, Dómine, virtútem mánibus meis ad abstergéndam omnem máculam; ut sine pollutióne mentis et cóporis váleam tibi servíre.

Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat :

IMPÓNE, Dómine, cápiti meo gáleam salútis, ad expugnándos diabólicos incúrsus.

Ad Albam, cum ea induitur :

DEÁLBA me, Dómine, et munda cor meum; ut, in sángine Agni dealbátus, gáudiis pérfruar sempitérnis.

Ad Cingulum, dum se cingit :

PRAECÍNGE me, Dómine, cingulo puritátis, et exstingue in lumbis meis humórem libídinis; ut máneat in me virtus continéntiae et castitátis.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro :

**MÉREAR, Dómine, portare manípulum fletus et dolóris;
ut cum exultatióne recípiam mercédem labóris.**

Ad Stolam, dum imponitur collo :

REDDE mihi, Dómine, stolam immortalitátis, quam
pérdidi in praevaricatióne primi paréntis : et, quamvis
indignus accédo ad tuum sacrum mystérium, mérear
tamen gáudium sempitérnum.

Ad casulam, cum assumitur :

DÓMINE, qui dixisti: Jugum meum suáve est et onus
meum leve : fac, ut istud portáre sic váleam, quod
cónsequar tuam grátiam. Amen.